

C. Fr. Heinrichii
reliquiae nonnullae criticae.

Edidit

Fridericus Heimsoeth.

Quae Niebuhrius Sangallis invenerat FLAVII MEROBAUDIS fragmenta vel fragmina fragmentorum, ea Carolus Fridericus Heinrichius et ipse statim curiose lectitabat et bis in Seminario Philologico Bonnensi tractanda sodalibus proposuit, primum a. 1827, deinde a. 1834. Posterioribus exercitationibus cum ipse interesset commentationesque quaedam, quas de his fragmentis tunc scripseram, magistro placuissent, vocavit ille me domum, admonebat, ut secum tertium illa post duas Niebuhrii editiones et emendatius ederem. Parabam quae habebam mea. Tunc ille, mihi quoque, aegrotare, doloribus cruciari perpetuis, mori. Postea a filio accepi mortui quae ad Merobaudem attinent chartas. At vero ipse interea ad alia longe et tempora et loca vocatus ultimorum Romae temporum memoriam indiem fugeram magis. Neque sedulitatis illius philologiae in omnibus aequae antiquitatis locis versandi satis unquam fui cupidus, quippe in amoenissimis regionibus et consuetus et contentus versari, habitare. Itaque Hispani illius rhetoris et poetae res versusque in scriniis meis in omnes latituri erant annos, nisi Friderici nunc Ritscheli industria de reperiendis, quae publici essent iuris, me postularet obstinate. Neque mihi fas fuit recusare. Transcripsi igitur ex libro Heinrichii, quae ille strenue aliquando emendavit; supplementa quaedam mea addidi; omnem et digressionum et vero inter-

pretationum, quam olim paraveram, molem nunc repressi. Neque enim plura potui hodie a me impetrare; quamquam sic de viridi olim nec non copioso novae editionis corpore ossa nunc tantum mihi videor legere quaedam. Quae vero cum magnam partem reliquiae sint ingenii acuti et elegantis in hisque latinis litteris facile principis, ne nimium fastidiosus lectores lustrate oculis memoriamque egregiam legentes colite vos praecipue, quibus licitum aliquando fuit in seminario prima stipendia merere Heinrichiano, in quo solida huius viri doctrina vel his parvulis rebus illud tamen continenter, quo magnus ipse fuit, nos docebat: certa certo modo quaerere.

Pag. 1. *) Describitur villa Ravennas Placidi Valentiniani Aug. Ac primum coenatio. Vela foribus praetenta ornat imperatoriae familiae una coenantis imago. In camera Valentinianus conspicitur cum coniuge, nuper pictus:

Ipse micans tecti medium cum coniuge princeps

Lucida ceu summi possidet astra poli.

Terrarum veneranda salus: pro praeside nostro

Amissas subito flet novus exul opes.

In quibus versibus Heinrichius legebat 'quo praeside rerum', collat. Ovid. Metam. XV, 758. Itaque verba 'terrarum veneranda salus' de Valentiniano accipiebat dicta, sicut in nummis imperatores dicuntur 'salus reipublicae'. Quare haec verba praecedentibus arctius connexuit, sic: '— possidet astra poli, terrarum' ect.

P. 3 ab init. describitur lacus in villa, quem cervi circumdant arte confecti:

Marmoreos rigat unda lacus fictasque metallis

Cornigeras rapido proluit amne feras,

Turbaque festinis onerat crystalla fluentis;

Gemma vchit laticem, quae fuit ante latex.

Heinrichius correxit 'albaque festinis' ect. Scilicet margo lacus ex albo marmore factus fuit.

*) Paginas versusque editionis Niebuhrii secundae indicavi. Litteris obliquis, quae a codice absunt, exprimi iussi.

P. 3. Carmen III. 'Viridiaris viri inl. Fausti'. Ita Niebuhrius in editione secunda, qui in prima haec tantum ab initio posuerat: Ridiari. Itaque Heinrichius in margine adnotavit: 'erit in membrana . . . RIDIARIS, per compendium, i. e. viridiarium. Cf. milliarium, calendarium, plantarium, alia; v. m̄ca ad scholia Iuvenal. VI, 80 et ad Iuvenal. IV, 122.'

P. 7. In initio si cum forfice licet luctari, quae litteras partim abscidit, partim dimidiavit, praecessit aliquid huiusmodi: 'et quanquam in excelso loco versaris, quem bellica fortuna tua potius quam a natura tenes, | nihil, quod cupias latere, deprehendi potest'.

P. 8. v. 5. 'Lateant ergo hi, quos deprehendi pudet; etenim | bonae conversationis est nimis petere conspectum'. Heinrichius: *nec enim vel nec iam*.

V. 8. 'Et tamen mali frustra arbitros fugiunt. | Quid enim eis prodest non habere conscios, cum | habent conscientiam?' Heinrichius: *qui habent conscientiam*.

V. 10. 'Veniant sane ad te, quos volunt arbitri'. Heinrichius: *qui volunt arbitri*.

V. 16. 'Tibi enim cubile cava ru|pes, aut tenue velamen in caespite; nox in vigiliis, | dies in laboribus; iniuria iam pro voluntate; lorica | non tam munimen, quam vestimentum; coena | non adparatus sed conversatio; postremo . . . | qui aliis procinctus, tibi usus est'. | In quibus Heinrichius malebat pro cava *glabra*, pro velamen *levamen* i. e. requies, pro voluntate *voluptate*, pro vestimentum alteram formam praecedenti voci similiorem *vestimen*, pro conversatio *conservatio*. Verum mihi praeterea pro voce iniuria (de qua Niebuhrius in adnotatione haec scripsit: 'vocabulum *iniuria* valde dubium esse videtur: omninoque hanc paginam iterum inspicere cupio') scribendum videbatur *militia*, pro coena *galea*, et post vocem postremo inserendum *gladii*. Ita ut totus locus hoc modo rescribendus sit: 'Tibi enim cubile *glabra rupes* aut tenue *levamen* in caespite; nox in *vigiliis* (vel *consiliis*), dies in laboribus; *militia* iam pro voluptate; *lorica* non tam munimen

quam vestimentum; *galea* non adparatus, sed *conservatio*; postremo *gladii*, qui aliis procinctus, tibi usus est.

Inde a v. 22 hae litterae leguntur apud Niebuhrium: 'nec immerito te ita communem *alacritati ac la|bori*, labori ac potestati, natura formavit | ore *ciiumgra . vares la . oran . ra* | proximitas tua i | *velocitatem tuam*.' Quae Heinrichius sic supplevit in margine: 'nec immerito te ita communem *alacritati ac labori*, labori ac potestati natura formavit, *ut labore incendas gravatos ac laborantes, fatigatis proximitas tua inspiret velocitatem tuam*'. In quibus cum mihi et copulatio illa 'ut incendas' aliena videretur esse et nimia in mutandis litteris libertas, in addendis liberalitas, hoc ipse ludebam: 'nec immerito te ita communem *alacritati ac labori*, labori ac potestati natura formavit; *nam in ore omnium graviores res laborans languorem proximitas tua in velocitatem tuam vertit*'. Quae Heinrichio memini non satis placere. Meliora non inveniebam. Nunc ne quaerere quidem in lubricis illis et incertis litteris certius esse videtur.

P. 9. v. 2. 'Tunc, si quid a bellis | *vacat*, aut situs urbium aut angustias montium | *aut plana* camporum aut fluminum transitus aut | *viarum spatia* metiris, atque ibi quis pediti, quis | *equiti* accommodatior locus, quis excursui | *aptior*, quis receptui tutior, quis stationi uberior, *exploras*'. Quae bene sic omnia suppleta videntur; nisi pro viis fortasse *silvas* malueris aut *valles*, et pro vocabulo 'aptior' aliud significantius quodque reliquis, quae sequuntur, adiectivis magis respondeat, fortasse: 'quis excursui *planior*, quis receptui tutior, quis stationi uberior'.

V. 10. 'Iam vero, praeter *Martios labores*, cuius tanta in consiliis alacritas' cet. Melius scripseris: 'praeter *Martias laudes*' vel '*virtutes*'.

V. 10. 'O fortunatissimum orationis | *meae tempus*! Vera me dicere omnes fatentur | r hactenus me de actibus tuis aliquanta | et quidem multum dicturo

obest igno|rantia'. Heinrichius lacunis haec inseruit: *testantur, dixisse*. Pro et quidem scripsit *at quidem*.

V. 17. 'Debet nosse quem loquitur'. Heinrichius: *qui loquitur*.

V. 18. 'Nec sola | *illa de viris* fortibus praedicanda sunt, quae pu|blica fama denuntiat. Nam et cum victoria per |, tum designatur hoc nomine, quidquid | *contulerit* favens fortuna bellorum: non tamen | *monumentum* implet animos, ut si ipsa itinera | *atque agmina* et imago certaminum et vulnera | *et proelia* et hostili caede pulvis cruentatus |'

Heinrichius: 'nam et cum victoria *perhibetur* (i. e. narratur, nuntiatur; aut *perfertur*) *tantum*'; et pro vocabulis non tamen f. *nec tam*, pro et proelia f. *et neces*. Mihi praeterea monumentum illud removendum videbatur, quod non stare potest nisi fulcro illo Heinrichii adhibito, quo vero laeduntur verba in ipso codice scripta. Et ne sic quidem. Merobaudes fortasse scripsit: 'non tamen *solum eventum* implet animos, ut si' cet. Pro 'et vulnera *et proelia*' scripserim 'et vulnera *mortifera*'.

P. 10. '. . . | *lentem in collegium togae senatus* adscivit. Hanc quoque lacunam forcici illi invidiosae invadebam; praecedebat igitur, si diis placet, tale quid: '*erat cum ipsi mihi facta tua et cernere licebat et admirari. Tunc quidem animus impulit, ut fortissimi viri facta versibus meis conarer iterare. Atque pro his me laudibus tuis a castris actate remotum nec armis patriae prodesse iam valentem in collegium togae senatus* adscivit; pro his me laudibus meis' cet.

P. 11. '. . . | *qui aestimator es, quam enormis ubique et quam | insueta gratulatio sit, cum aliquis index de actibus tuis secunda loquitur*'. Scripsissem '*tui aestimator es*', ut praecesserit: '*non fugit te, quanquam modestissimus ipse tui aestimator es, quam enormis*' cet.

P. 11. v. 7. '*Delatus ego in augusti litoris sinum, qua Salonas usque | per anfractus terrae pronum pelagus | inlabitur*' cet. Heinrichius: '*in angusti litoris sinum*'.

Nunc carmina denuo sequuntur arte non carentia, imo abundantia interdum ita, ut viri caeterum acutissimi oculos fecerint caecutire. Velut ab initio in versu septimo, quem Niebuhrius in utraque editione confessus est se non intelligere. In quo poeta Francos Burgundionesque devictos commemorans: 'Rhenus, inquit,

Gaudet ab alterna Thybrin sibi crescere ripa.

Tantopere hercle nemodum abusus fuit fluviis, ut Tiberim ab alterna Rheni ripa crescere dixerit, quo imperium Romanum in utraque Rheni parte crescere significaret. Modestius certe Martialis alicubi Rhenum adlocutus, 'et Romanus' inquit 'eas utraque ripa'. Verum ad scripturam versuum si redierimus, in prioribus tribus paginis ipse codex omnia exhibuit et plene et recte scripta. At in sequenti pagina decima quinta singuli iam versus resecti forfice illa ἀρρόνη quidem, sed non parca truncatigue inveniuntur. Loquitur Furia, ut Claudiano per primum librum contra Rufinum Megaera, vel alia qualiscunque 'diva nocens'. Quae in lacuna, quod pacis auctores tantopere colantur, conquesta esse videtur; unde superest:

. . . et Nili populis ploratus *Osiris*.

Nunc magna voce, quod ipsa terra marique pellatur, conclamat:

Despicimur: sic cuncta mei reverentia regni
 Alterna sub sorte perit: depellimur *undis*,
 Nec terris regnare licet.

Sic enim scribendum Heinrichio videbatur pro 'depellimur *axe*'.

Nec inulta *feremus*

Haec tamen, et nostris aderit sors iusta *querellis*.
 Eliciam summo gentes Aquilone *repostas*
 Fasiacoque pavens innabitur hospite *gurges*.

nisi pro ultima voce legendum *pontus*. — Nunc ad Enyonem, germanam, proficiscitur. Quae iam describitur:

Squalent *informia taetro*

Ora situ, sicci que rigent in veste *cruores*.

Dura supinato pendent retinacula *collo*,
 Languet apex galcae, clipei nec trislis *in orbe*
 Lux rubet, et totae pereunt mucronibus *hastae*.

In quibus pro collo certe supinato intulerim *currum*, erecto,
 ut Staius in Thebaide ait, temone supinatum, cuius dura
 pendeant retinacula.

Hanc ubi diva nocens liquido de tramite *cernit*,
 Desilit et tali residem licet excitat *orsu*:
 Quis miseros, germana, tibi sopor obruit *artus*
 Pace sub immensa? quoniam tua pectora *somno*
 Mersit iniqua quies, inopes tua *classica* . . .

Hic non placet mihi post soporem *somnus*; etenim ipsa ini-
 qua quies in pectus mersisse Enyonis videtur. Vox mersit
 per se stare potest, ut apud Lucanum in primo 'publica belli
 semina populos semper mersere potentes.' Itaque scripserim
 'quoniam tua pectora *pigra*' vel simile quid. Sed finem sen-
 tentiae addere, quae sic incipit: 'inopes tua *classica* . . .' dif-
 ficile, οὐ γὰρ ῥᾶστον ἀρῥήτων ἐπέων πύλας ἐξευρεῖν. Exem-
 plum ne absit: 'inopes tua *classica flatu foedabunt aurae?*'

Post lacunam pedetentim progrediendum est. Megacra
 sic pergit:

Indue mortales habitus, tege casside vultus.

Melius scribi videtur: '*indue terribiles sive crudeles habitus*'
 (Heinrichius: *sanguineos aut funestos*); tege casside *crines*
 vel *frontem*.

Urge truces in bella globos Scythicasque faretras

Egerat ignotis Tanais bacchatus in oris.

Pro urge rectius scripseris: *coge*.

Aeratas prosterne domus et operata metallis

Culmina, quae toto Latii conspeximus orbe.

Niebhrius adnotaverat: 'pro *aeratas* maluissem *marmoreas*,
 sed litterarum numerum computare debebam'. Heinrichius:
 'fores sunt aeralae et ostia, non ipsae domus; leg. *regales*,
 quae sunt totidem litterae'. Scripserim, quod apud Prudentium
 memini aliquoties legere: *auratas* domus.

*Una omnes in tela ruant: gravis ardeat auro
 Balteus, auratae circumdent tela faretrae,
 Aurea crispatis insidat lamna lupatis,
 Includant gemmae chalybem, ferroque micantes
 Fulgens auratis facibus lux induat enses.*

Nescio an his omnibus alia praeponenda fuerint verba, in hunc fere modum: *cuncta illorum, omniaque una, cuncta simulque in tela ruant cet.*

*Moenia nulla tuos valeant arcere furores:
 Roma ipsique tremant furialia murmura reges.
 Tum superos terris atque hospita numina pello:
 Romanos populare deos et nullus in aris
 Vestae exoratae fatus strue palleat ignis.*

Heinrichius in margine pro *romanos antiquos*, sed dubitanter scripsit, pro *exoratae inoratae*. Mihi plura non recte se habere videbantur. Neque enim Roma cum regibus placebat sic coniuncta; displicebant superi ita compositi oppositique hospitis numinibus; offendebant denique romani dii ita post omnes et sine copulatione claudicantes. Quare scribere pro *Roma ipsique conabar: purpleique*; quo reges in universum dicantur, qui etiam *impavidi* vocari potuere; pro *tum superos terris*: *tum dominos terris*; quo imperatores romani et suo nomine (domini terrarum) appellentur, et, qui diis proximi, cum novis diis recte componantur; quo denique homo Christianus sua imprimis numina, praeterea omnium omnino etiam domesticorum sacrorum populationem nocentis divae votis committere videatur. In sequentibus enim praeterea pro *romanos populare deos* scribebam: *atque lares populare deos et nullus in aris Vestae — palleat*. Pro *exoratae* scribebam *inhonoratae*, quae vox non inusitata poetis, velut Ovidio in octavo Metamorphoseon: *at non impune feremus, quaeque inhonoratae, non et dicemur inultae*. — Nunc mihi haec referenti non satis placent, quae tunc posui, praecipue dii lares, pro quibus nunc *patrios deos intulcrim, sive hoc: una omnes populare deos* cet.

*His instructa dolis palatia celsa subibo,
 Maiorum mores et pectora prisca fugabo
 Funditus.*

Heinrichius: *intenta*, subito, *fugato*. Mihi satis esse videbatur
 vocem *funditus* tollere, ut sequentia sic procedant:

*Ignavi atque simul, nullo discrimine rerum,
 Temnantur fortes, nec sit reverentia iustis.*

Tollatur etiam, inquit, omne ius:

Attica neglecto pereat facundia Phoebo.

Nam forum dicit et iudicia, quibus neglectis ipsa pereat iustitia. Phoebus est enim ille in foro Augusti iurisque peritus Apollo, a quo Horatius aliquando servatum se fatetur. Sed Heinrichio non placebat *attica* facundia, pro qua voce substituere malebat *callida* vel simile quid. Mihi, quo haec sententia cum antecedentibus cohaereret, aequius videbatur scribere:

Spretaque neglecto pereat facundia Phoebo.

In tribus qui finem faciunt huius loci versibus:

*Indignis contingat honos et pondera rerum
 Non virtus, sed casus agat tristisque cupido,
 Pectoribus saevi demens furor aestuet auri.*

tertius non cohaeret. Quare Heinrichius scripsit: *atque animis*.

Per lacunam res eo perducta est, ut belli feliciter tandem commoti iam nunc dux desideretur. Et quaerunt quidem, qui more parentum, ut nostro similiter Sidonius cecinit, non mandet, sed bella gerat;

*Quem non praeda docens aurique insana cupido
 Cogat, inexhaustis animum permittere curis.*

Quantocius cum Heinrichio corrige: 'praeda nocens'. Ita Claudianus in primo contra Rufinum: 'luxuries nocitura'.

Nec vota cadebant

*In dubium notumque fuit, quem posceret orbis.
 Aetium coniunctus amor populique patrumque
 Et procerum mens omnis habet. Nec dicere mussant;
 Reppetiere palam iam, quod sententia mundi*

Cunctorumque fides nullis auctoribus ambit.

In quibus versibus mirifica tibi videbitur mecum Niebuhrii patientia scripturam codicis Heinrichio demum relinquentis emendandam sive interpretandam. *Habet* i. e. *habet* i. e. *avet*, concupiscit, expetit. Praeterea pro *reppeliere*, pro quo in codice prima manu scriptum est *repperiere*, dein secunda *redpetiere*, tertia denique emendatione cum Heinrichio scribendum: *sed petiere*.

Aetii nomen poeta postquam feliciter nactus est non temere relinquit. Exponitur de gloria patris, de filii pueritia. Quae omnia sana in codice sunt nec in ipsis quidem versibus truncata. Nisi quod semel scriptor codicis de recta syllabas metiendi nescius deflexit via; ita ut mihi reliquerit in v. 130:

hinc modo voti

Rata fides, validis quod dux premat impiger armis,
Edomuit quos pace puer.

pro *rata* fide inferre demum *raram* fidem. — Iam vero inde a pagina decima nona recurrunt ad finem usque versiculi isti sive in principio sive in exitu nudati. Describuntur bella in Gallia ab Actio gesta, qui comparatur Divo Iulio,

Teutonicum Latiis hostem cum *sterneret armis*,
Tunc ad bella rudem nec adulto *Marte ferocem*.

ubi Heinrichius malebat: nec adulto *Marte superbum*, ad normam scilicet Virgilianam in Aeneid. I, 21. —

Nunc gloria maior,

Quod iam barbaricae mutatos semine terrae,
Et bellare pares, uno quod tempore vicil.

Carolus Schnell. in margine Heinrichii: 'quod iam barbarica mutato semine *gentes*. Mihi satis videbatur pro *terrae* scribere *stirpis*.

Quod clausos castris hostes superavit *et arma*,
Quae quondam victoris erant, hic *dextra recepit*
Magnanimi luclata ducis.

Pro *recepit* Schnell. in marg. Heinrichii (hoc igitur probante)

repressit. Intelligebant enim: arma Bagaudarum, qui ante Aetium victores fuerant. Ego coniicio: Aetium arces, quae quondam Romanorum erant, *recepisse.*

Nam *claustra velabant,*

Heinrichius: *resistunt.*

Et turritus apex ingestaque moenia caelo,
Naturam cumulante manu.

Schnell.: ingestaque moenia *saxis.*

Stat clipeis vallata cohors, hastilia torquet,
Ense minax, voiucrique nocens per inane sagitta.

Fromm. in marg. Heinrichii: hastilia *torquens.*

Nobile non animis, sed non ignobile *factis*
Vulgus inaequali iustus Mars sorte *peremit.*

Heinrichius: *pugna, trucidat.* Mihi in fine sententiae longe alia vox desiderari videbatur, scilicet: *coëgit.*

Inuius hinc vertex manibusque et moenibus *exstat;*
Inde ducis virtus bellum domitura *perenne.*

Heinrichius: f. *horret, f. minatur.*

Ergo immite fremens coniuncto robore ductor
Naturae certare parat. Cadit agmine *facto*
Silva ferox.

Heinrichius: f. cadit agmine *caesa* silva ferox. Quod ante lacunam in codice videre licet *αἰνιγμα ψαλίδος ἐξ ἀγριῶν γνάθων:*

. los crevere viae, quas vique. . .

huic Niebuhrius in fine adscripsit: *manuque,* Heinrichius in principio: *per scalas.* Si Niebuhrius recte ab initio legit, coniicio: *per tumulos,* vel, quod oppositum sit verbis vique *manuque: perque dolos.*

Iam ultima sequuntur fragmenta fragmentorum. In quorum initio sic a Niebuhrio expleto:

Patricius longis in coelum molibus urget,

Vicinisque iubet socios consistere castris.

pro Actio sufficet fortasse turris sive murus silva illa exstructus:

*Sic murus longis in coelum molibus urget
Inclusosque iubet socios consistere castris.*

Dies noctesque certatur;

et mors incerta tenebris

*Fertur, et, indubia quamvis sub sorte cruorem
Spargunt, ignaros fatorum lumine cursus
Caeco tela regunt et letum errantia portant.*

Heinrichius: 'ignaros fatorum lumine cursus *nullo* tela regunt'.

*Inde subactorum bello pars magna reorum
Dedere se tardata parat, sensimque recepta
Detrectare minus.*

Heinrichius ad vocem *detrectare*: 'alienum hoc: nam est recusare, defugere, lege: *exarmare*.'

etiam, discordibus armis,

*Dum pars bella gerit, veniam pars poscere gestu,
Pars properare fugam: donec penetrata labore
Longo victrices hauserunt moenia flammae,
Carminaque optatam en victis dant ultima famam,
Qui saevo sub Marte cadunt. Sed carmina tandem
Sancta cruentatos vertant ad foedera cantus.*

Heinrichius adscripsit: *praemiaque*. Ego olim: *ruderaque*, sive *proeliaque, vulneraque, funeraque*. In sequentibus malim: 'sed carmina tandem *nostra*' cet.

*Qui dum bella sonant, semper memorabitur hostis,
Et sat laudis habet, cui tot praemisimus arma.*

Heinrichius: '*nam sat laudis habet*'. Mihi prior versus non cohaerere cum praecedenti videbatur. Quare scribendum arbitrabar aut: '*nam dum* bella sonant', aut: '*semper* bella sonant' cet. Praeterea: 'cui tot *permisimus* arma'.

Nunc pacis laudes poeta buccis canere incipit sufflatis. At intercedens forfex monachorum abripuit nobis plurima. Haec igitur quiescant in pace. Quos reliquit illa octo versus, eorum ultimos Niebuhrius invenit sic laceratos:

.....lis quae iura dedit, quae condidit urbes,
.....vixit Latium post bella Quirini

..... c . ato animam virtute Quirinum

..... sus geminos oris nunc m . . .

quorum vulnerum haec accipe ad extremum emplastra qualia-
cunque; εἰ δὲ λέγει τις ἄλλως, πλατεῖα κέλευθος:

Est, populis quae iura dedit, quae condidit urbes,

Qua felix vixit Latium post bella Quirini,

Cum solvit peccato animam virtute Quiritum

Et visus geminos oris nunc miscet Iani.

Numa Pompilius, qui, ut Livius scripsit, urbem novam, con-
ditam vi et armis, iure legibusque ac moribus de integro
condere parat; quibus cum inter bella adsuescere videret non
posse quippe efferatos militia animos, mitigandum ferocem
populum armorum desuetudine ratus, Ianum ad infimum Ar-
giletum, indicem pacis bellique, fecit.

Et mea iam longo meruit ratis aequore portum.
